

Numeri addendi ita sunt collocandi, vt vno sub altero posito, primæ figuræ inter se respondeant, item secundæ inter se, & tertiæ, & quartæ, &c. adeo vt defectus figurarum, si quis est, cernatur ex parte sinistrâ. Vt hi numeri addendi, 710654. 8907. 56789. 880. collocandi erunt, vt hic apparet.

Numeri addendi quo pacto sint collocandi.

710654

8907

56789

880




---

 777230

Ducta deinde linea sub numeris addendis, adduntur primum omnes primæ figuræ inter se, & numerus cõpositus, si vnica figura scribi potest, sub primis figuris infra lineam ponitur, si verò duabus figuris scribendus est, ponitur sola prima earum, & reliqua seruantur, vt deinde secundis figuris inter se addendis adijciatur. Post hæc adduntur secundæ figuræ eodẽ modo, additâ prius illâ, quæ seruata est, si qua tamen seruata sit, itemq; tertiæ, quartæ, & aliar. Quod si ex additione vltimarum figurarum numerus cõponatur duabus figuris scribendus, ponendæ sunt ambæ sub linea, nulla retenta, quòd tunc rota additio peracta sit. Verbi gratia. In primis figuris propositi exempli 0. & 9. faciunt 9. addo 7. fiunt 16. addo 4. fiunt 20. Pono ergo sub primis figuris 0. & seruo 2. Deinde in secundis figuris, ex 2. (quam figuram seruaueram) & 8. fiunt 10. addo 8. fiunt 18. addo 9. fiunt 27. Pono ergo figuram 7. sub secundis

Quo pacto fiat additio.